DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQ. DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM, MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XXIII. NOVEMBRIS.

M. ROBERTO TVLLOVE, Doctore Medico, moderatore.

Est ne purgatio necessaria menstruis inordinatè fluentibus? 1007.

MVLIEBRIS sexus grauibus ac variis quotidie conflictatur symptomatis, præsertim si in vtero & ab vtero suppullulent. Illius corpus molle atque imbecillum tam iniuriis internis quàm externis obsistere vix potest, nisi vterus probè temperatus fuerit, quemadmodum & cæteræ partes vitæ & nutritioni deuotæ; aliàs querulus ac gemebundus toto vitæ suæ curriculo existens, medicis etiam prudentioribus ac consultissimis, non grauis erit modò, sed & valde importunus. Peculiares ei sunt affectus distincti à virili, frequentes autem in menstruis purgationibus, ex aucta quantitate, diminuta, instabili ordine, corrupta substantia, ex mixtione prauisucci, vnde naturalem suum colorem, victimæ recenter iugulatæ sanguini similem, non seruant. Pallidi fiunt, albicantes, liuidi, nigri, virides, aut variegati, pro ratione humoris admixti fœtorem quoque contrahunt: ea propter mulierem quæ inordinata patietur menstrua, cacochymia detineri fatendum erit, ex totius corporis intemperie, vel alicuius partis præcipuæ, cùm quæ sanæ sint, iis, à principio ad finem, menses non minùs bellè quàm ordinatè defluant; illarum sanguis cum nec nimis tenuis sit nec nimis crassus, medicinæ auxilio non indigent.

VNA atque eadem ætate maribus semen fieri incipit & secerni, feminis menstrua erumpunt, atque hirciunt, & vocem habent asperiorem; declinante ætate masculis non aboletur generandi facultas vt feminis menstrua deficiunt. Menstruus sanguis, minimè animatus nec alius quiuis, est benignum & vtile alimenti vltimi excrementum partium sanguinearum, quemadmodum semen vtrarumque, quæ duo benigna excrementa Natura prouidens, assidui interitus veluti remedium excogitauit, ad fœcundam generationem. Matricis partes sunt virile semen excipere & fœtum perficere, mammarum verò sanguinem immutare, & quod iam natum est alere; vnde non minima exsurgit differentia inter vtrumque sexum. Vir caret sanguineo illo excremento, feminæ tanquam minùs calidæ peculiari & proprio, ei enim est temperamentum copioso sanguini gignendo idoneum & minùs resolutioni obnoxium, ac si esset generationi fœtus & materiæ fœtui efformando necessariæ aptum domicilium. Sanguinem illum modò purum, modò variis permixtum humoribus vterus sinit effluere, sæpe ad leuamen & solatium totius indiuidui, sæpissime verò sic ad illius noxam, vt illum veluti omnium morborum causam existimes. Nisi tamen statis periodis per loca consueta mensium fieret eruptio, inciderent mulieres in cachexiam, hydropem, maniam & alios deterrimos affectus. Ita tantæ & tam admirandæ sunt Naturæ leges, quæ statim atque modum excedunt, iucundissima quæque fiunt iniucunda.

LEGES naturæ Medicinæ legibus sociali connubio iunguntur; nihil firmum atque fixum diu permanet absque lege & ordine: ordo autem omnis ratio est, & nihil inordinatum est eorum quæ naturâ & secundum naturam fiunt. Inde mulieres tum viduæ tum virgines, & aliæ quibus suo tempore menstrua liberaliter excernuntur, omnibus tam animi quam corporis functionibus perfectiùs fruuntur, & aptiores sunt ad prolis generationem, tanquam laudatissimo temperamento præditæ. Contrario se habent modo quibus menses improsperè veniunt, citraque ordinem & periodum, menstrua modò sistunt se, modò reuertuntur. Non me hercule in illis semper peccat vterus, qui ex temperato & à natura bene conformato, tandem successu temporis redditur intemperatus ex illa putri & assidua proluuie quâ farcitur, & cuius continua & perennis irrigatio causa est morborum, nulla ferè arte curandorum, vt sunt vlcus mali moris, scirrhus, cancer, inflammatio, quæ omnia non leuem noxam vniuerso corpori communicant. Hinc mensibus immodicè aduenientibus morbi accidunt, non venientibus morbi ab vtero fiunt.

VT immodicus menstruorum fluxus, diminutio, suppressio, stillicidium, & cætera mala quæ contingunt mulieribus, suas habent causas; sic & fluor inordinatus, qui tum ab vtero & vicinis partibus repetendus, sæpe sæpius à cacochymia, vulgari aut cum profunda putredine coniuncta, quæ purgatione cuique superanti succo & putri accommodata percuratur, atque hac arte morbos omnes vteri, cuius caro fungosa facilè excrementa suscipit, expugnabis, & ipsum, vnà cum toto corpore, sanitati restitues. Mulier quæ erat κακόχροος, cuius oculi caui iamdiu languebant, cui deiecta appetentia, lassitudo vlcerosa, ventris tormina, dolor ingens capitis continuo aderant, ad pristinum statum redibit; menstrua quæ procedebant inordinato modo & quadam fœdabantur spurcitie, tum naturæ legibus obedientia, neque debitum tempus anteuertent, neque remorabuntur, sed florido colore dotata, arguent nutritiarum partium & cæterarum omnium probam temperiem. Et quæuis mulier isto importuno affectu liberata, ipsa sua pulchritudine pulchrior, suo gratissima viro, non amplius vieta, marcida, neque confracta conspicietur.

SANGVINEM detrahere in omnibus penè morbis nouum non est, illúdque salutare remedium non admittere, insulsi foret Medici, cùm præter veterum & grauissimorum virorum testimonia, vsus quotidianus illud confirmet, sed vt illius omissio pernicioissima, ita frequentia debet condemnari, maximè in fluxu menstruorum inordinato: sedulò igitur magnòque cum ingenij acumine mulierum morbos rimari & expendere debemus, cùm necessitas cogat peritum artificem, purgationem, quæ consistit in exclusione humoris prauæ qualitatis, anteponere & præferre venæ sectioni in tali affectu, in quo quidquid sanguinis detraher malus adferet incommodum, & numquam optatum sibi finem assequetur. Habeat ergo duces rationem & experientiam simul iunctas, cacochymiamque à plethora optimè distinguat, nec cantibus & blandimentis quorumdam hominum, auram popularem solummodo, summo ægrotantium dispendio, quærentium, suas obtrudat aures. Recta via sed facili incedat: Equidem plebeia ingenia magis exemplis quàm ratione capiuntur, ideóque quam multi nulla præmissa meditatione, sequuntur quæ vident, quanquam in morbis nihil magis periculosum, nec pernicioum occurrat quàm immatura medicina, nihil æque sanitatem impediat quàm remediorum crebra mutatio. Vna ergo aut altera venæ sectione celebrata, foliorum Orientalium infusum in vulgari ptisana, syrupum rosarum solutiuum vel florum persicorum, vel pulpam tamarindorum audenter præscribat, seorsim, aut vnà mixtis pro arbitrio, dummodo crebrò repetantur, quæ plus largientur emolumenti quàm omnia isthæc emetica, & reliqua Chymica remedia, quæ semper aliquid deleterij in intimis viscribus post se relinquunt. His si obsequentem habuerit ægram, & bonam viuendi legem addiderit, gratum opus mulieri & ipsi viro præstabit.

Est ergo purgatio necessaria menstruis inordinatè fluentibus.

Proponebat Lutetiæ ANTHONIVS DE SARTE, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. LI.

F.M.P. BIBLIOTHECAE

578

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Gamare.
M. Bertinus Dieuxiuoye.
M. Ioannes de Montigny.

M. Stephanus Bachot.
M. Ioannes Baptista Moreau.
M. Eusebius Renaudot.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Antonius Charpentier.
M. Franciscus Pijart.